



# Disputatio juridica inauguralis de nuptiis

<https://hdl.handle.net/1874/340712>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
I N A U G U R A L I S,  
D E

# N U P T I I S,

*Q V A M,*  
FAVENTE D E O T E R O P T. MAX.

*Ex au<sup>t</sup>oritate Magnifici Rectoris,*

D. JOHANNIS van MUYDEN,

J. U. D. ejusdemque Facultatis in inclytâ Academiâ Ultrajectinâ  
Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicci consensu , Nobilissimæque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto ,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
rite, ac legitimè consequendis ,

*Eruditorum Examini subjicit*

R E G N E R U S à W E S T R H E N E N , AMERSFURTENSIS.

*Ad diem 28. Januarii horis locoq[ue] solitis.*



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi , cl<sup>o</sup> Ioc LXXXVIII.

*Nobili ac Generoso VIRO,*

D. D. DANIELI  
VANDEN BERGH,  
Jur. Utr. Doctori, & Advo-  
cato summæ Curiæ Ultrajec-  
tensis expertissimo cognato  
meo plurimum honorando.

*Hanc Disputationem Inauguralem, seque  
ipsum in observantia signum*

Dedicat ac consecrat

REGNERUS à WESTRHENEN,

*Auctor.*



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
NUPTIIS.  
THESIS I.



Ro ingenii tenuitate aggref-  
suri materiam de Nuptiis præ-  
ambuli loco aliquid præmit-  
temus de sponsalibus, quo-  
niam sunt mentio & repro-  
missio futurarum nuptiarum.  
*l. i. ff. de spons.*

I I.

Olim sponsalia fiebant adiectâ stipulatione

A 2

l. 2.

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

*l. 2. ff. eod. tit. jam vero nudo consensu l. 4. ff.  
eod. tit.*

### I I I.

Jure Canonico sponsalia sunt duorum generum vel de præsenti vel de futuro, jure autem civili omnia sunt de futuro, ut & moribus.

### I V.

Cum in contrahendis sponsalibus septennium sit definitum *l. 14. ff. de sponsalibus Q.* malitia ætatem suppleat an etiam ante septimum annum contrahi possint? & non posse verius existimamus. *Fachin. Contr. lib. 3. Cap. 26.* ratio est, quia leges requirunt septennium nec ante existimant quenquam intelligere quid agat.

### V.

Sponsalia possunt contrahi etiam inter absentes, per epistolas, per nuncium, per se & per alium, & sub conditione, adhibitâ vel  
*admodum tenuis et rara* *omis-*

# INAUGURALIS.

omissâ scripturâ l. 7. & ult. ff. de spons.

## V I.

Controversum est inter juris interpretes an sponsam sponsus de adulterio jure mariti accusare possit ? negativa magis placet.

## V I I.

Sponsalia possunt dissolvi altero invito etiam & matrimonio cum alio subsequentे.

## V I I I.

Jam vero sponsalibus peractis ad nuptias transeamus , nuptiae sunt viri & mulieris coniunctio , individuam vitæ consuetudinem continens §. 1. *Inst. de patr. pot.* intelligitur autem conjunctio animorum potius quam corporum quia nuptias non concubitus sed consensus facit l. 30. ff. de Reg. Jur.

A 3

IX. Ad

## DISPUTATIO JURIDICA

### I X.

Ad justas nuptias requiritur ut contrahentes sint Cives Romani, ut habeant legitimam ætatem, masculi quatuordecim annorum, fœminæ duodecim, ut adsit ipsorum contrahentium consensus, & parentum in quorum sunt potestate in *prin. Inst. de nuptiis &c l. 2. ff. de rit. nupt.*

### X.

Jure quidem Romano soli Cives Romani justas nuptias contrahebant, hodie autem peregrini & servi etiam singuli homines recte contrahunt.

### X I.

Nuptię quoad formam sunt juris civilis, quoad originem naturalis.

### XII. In

## INAUGURALIS.

### XII.

Injustæ Nuptiæ sunt, quæ contra legum præcepta contrahuntur.

### XIII.

Consensus parentum non requiritur de honestate, sed Jure Civili de necessitate; ita ut præcedere debeat *in princ. Inst. de nupt.* quod & affirmant *Bronckh. cent. 3. assert. 1. Hottom. Illust. Quest. 9.*

### XIV.

Et filius vel filia minorenns contrahens sine consensu parentum potest exheredari. *Bronckh. cent. 3. assert. 2.*

### XV.

Si pater ab initio noluerit consentire & interiam

## DISPUTATIO JURIDICA

terim postea matrimonium ratum habuerit queritur , an illud retrotrahitur tanquam ab initio justum ? contrarium sustinemus & illâ ratificatione matrimonium non retrahi , quia consensus parentum precedere debet ut supra dictum §. 1. *Inst. de patr. pot.* & l. 2. ff. *de ritu nupt.* confirmari tamen ratificatione certissimi juris est.

### X V I.

Matrimonium justo metu contractum non valet , sed est ipso jure nullum , nihil enim consensui magis adversatur quam metus l. 116. ff. *de Reg. Jur.*

### X V I I.

In matrimonio errore contracto aut est error substantialis , & vitiat matrimonium ut putans ducere Corneliam , duxit Annam quia in matrimonio principaliter de personâ agitur , aut est accidentalis ut putans ducere divitem , duxit pauperem & non vitiatur matrimonium. *Math. & Wesemb. ad ff. lib. 23. tit. 2. nu. 8.*

XVIII. Cum

I N A U G U R A L I S. 2

X V I I I.

Cum error maxime matrimonia violet. Q.  
si quis vitiatam duxerit pro virgine ad consu-  
mandum matrimonium cogi possit ? nos  
affirmativæ utpote veriori subscribimus. Bronk-  
horst cent. 3. assert. 3. hanc sententiam Wesemb.  
pulchre confirmat. ff. hoc tit. num. 8.

X I X.

Omnes possunt contrahere matrimonium qui  
non naturâ aut lege , prohibentur naturâ fu-  
riosi licet furor superveniens non vitiet præce-  
dentes nuptias l. 16. §. 2. ff. de ritu nupt. nec  
subsistunt nuptiæ inter eos qui parentum libe-  
rorumve loco nobis sunt. §. 1. Inst. de nuptiis ,  
inter hos enim ipsâ ratione naturali dictante  
committitur incestus , neque enim subsistere  
possunt matrimonia inter illos qui à latere ve-  
niunt ut inter cognatos & affines usque ad  
quartum gradum exclusive §. 3. Inst. de nupt.

B

XX. A. &

## X X.

A. & B. frater & soror sunt matrimonio juncti cum C. & D. postea moriuntur superscripti A. & B. jam Q. an C. & D. licitum sit post mortem præscriptorum A. & B. inter se matrimonium contrahere? Stricto jure affirmamus C. & D. matrimonium posse inire *per Nic. Ever. in conf. 51. post text. ibid. allegat. Wesemb. in paratit. ff. ad tit. de grad. & affinib. num. 17.* & ratio est, quia affinis uxoris meæ non est meus affinis vel affinis mariti non est affinis uxoris.

## X X I.

Postremo quæstionis est an adulterio dissolvatur matrimonium? & illud affirmamus non tantum quo ad separationem thori sed etiam quoad vinculum matrimonii *Wesemb. de divort. nu. 11. deportatione vero non dissolvitur pr. Nov. 22. Cap. 13.*

C O.



## COROLLARIA.

I.

**M**andans vulneris tenetur de cade subsecuta.

II.

An in judicando aequitatem an vero jus strictum sequi debeamus? prius affirm.

III.

Furtum sine affectu furandi non committitur.

Ve-

I V.

*Venditor præcise rem tradere non tenetur,  
sed liberatur præstando id quod interest.*

V.

*Non dantur actiones suâ naturâ mixtae.*

F I N I S.

